



Ingemarvs pessimi patris Ostavi regis optimus filius extitit. Hic cum sæpius conaretur paternos mores suis consilijs immutare (iuxta Ioan- nem Magnum) cognomento Canutus dictus fu- it. Is rex factus tātum se in omnium uirtutum of- ficijs exercuit, ut iuuentus, quæ sub patre à forti- tudine maiorum defecerat, nunc ad capescen- dam uirtutem prouocata, egregijs militiæ operi- bus præteriti temporis negligentiam aboleret. Pacatis itaque domi rebus cum exercitu in Rus- siam traiecit, & commisso prælio eam ad deditio- nem adegit. Deinde se ad Liuones & Curetes cō- uertens pari industria uictoriam assecutus est. Cū

postea in patria aliquandiu quieuisset, bellum in Britanniam & Hyberniam traduxit, & ibidem res maximas gessit. Postremò armatam classem in Danos conuertit, & eos in deditiōē recepit. quibus superatis quum sibi minus pro- uideret, atq; in insula Balthici maris securus uersaretur, Danorum insidijs im- petitus occubuit. floruit is circa annum Christi quingentesimum quinquage- simum quintum. Ioan. Mag. lib. 8. cap. 24.